

VER. 4. *Qui observat ventum, non seminabit;
& qui respicit ad densas nubes, non metet.*

Alia prolepsis, cuius occupatio est ab adjuncta inopia, quam beneficus largiendo perficeret, si in alios largitione utatur. Hominum etenim infidelitas in rationibus excogitandis fœcunda admodum est, quibus in dando promptitudinem retundat: 1. utpote quod nesciat an illa tempora incidere possint, quæ illum ad egestatem & penuriam adigant: 2. senectutem obrepere in qua vires ad laborandum & lucrandum deficient: 3. gravi aliquo morbo eoq; diuturno corripi posse, qui non tantum à labore cessationem, sed magnos sumptus faciendi causam præbebunt: 4. numerosam prolem illi aut jam obtigisse, aut obtinere posse, quæ illi ex mandato Dei alenda est: 5. persecutionem ob Christi nomen oboriri posse, quæ illum patrio solo exigens atque exturbans, illum in maximas angustias detrudat, nisi pecuniis probè munitus sit, & alia ejus generis sexcenta, quæ depravata hominis ratio Deo inimica, & quæ Deo subjici nescit, facile suggeret, ut fontem liberalitatis extinguat.

Ad quam occupationem subiectio est à disparibus: absurdum esse, ut hoc prætextu, & per nomen harum conjecturarum & difficultatum, quas caro comminiscitur, ab officio

Nn 3 Iar-